IVRISPRVDENTIÆ MEDICINÆ ET THEOLOGIÆ, DIALOGVS DVLCIS.

1213 R.16 3

Authore, H. Smith, Theologo.

LONDINVM,
Excudebat I. Danter, Impensis Thomæ Man.
1592.

8 Nc
1

DIGNISSIMO AC CONIVNCTISSIMO SVO AVVNCVLO THOMÆ CAVO ARMIGERO, BAGGRAVIÆ COMITATV LECESTRIAE, BRIANVS CAVVS NEPOS SVVS DEVINCTISSIMVS VIRTVTIS PRAEMIVM OPTAT.

PRouerbium hoc (prædulciter morti proximus olor canit) mihi in mentem reuocauit iucundam illam harmoniam, qua charissimus noster consanguineus tot mille hominum animos delectauit, vt rectè de eo iam defuncto dicitur, præsens prosperitas futuræ calamitatis augurium fuit; tum etiam mihi in animo cogitanti maximam virtutis partem in agentem redire, non potui licèt in tenueris meis annis, huic opusculo verbum addere, & sub nominis tui tutela hunc de studiorum delectu dialogum divulgare, olim tibi ab ipso Authore commendatum, iamque vt cetera opera eius omnia vehementes desideratum, quæ cum nominis sui splendore nunquam sunt peritura, quum bonis artibus veram gloriam parta esse

neminem latere puto; Si particulatim vitæ suæ celebritatem, morum integritatem, aut egregiæ doctrinæ profunditatem commendare studeam, nimium præ mea pueritia famæ suæ detraham aut præ consanguinitate verecundiæ fines transeam, hoc tamen affirmare liceat: se origine generosum, sermone affabilem, omnibus benignum, in cunctos vrbanum, inactionibus clarum, morum probitate insignem, musis scriptísque assiduum, vitæ sanctitate celebrem; atq; (vt vno verbo dicam) morte maximè pium, his virtutibus floruit, hisque iam fruitur, nihilo indigens, si nos illo non indigeremus. Hoc itaq; solùm restat, vt quum Authorem summa tibi obseruantia habuisti devinctum, hoc sui opusculum in clientelam tuam recipere digneris, præcipuè quum virtuti nunquam defuisse patronum accepimus, atque vt hoc Symbolum primitias studiorum suorum læta fronte excipisti hanc meam dedicationem, aditum quasi, & tantummodo mei in bonis literis progressus iudicium boni consulas vehementer rogo, quod mihi instar erit stimuli quo posthac plura tibi pro viribus, (vt officium postulat) reddere conabor. Vale Callendas Maij 1592. Stanfordiæ.

Dignitatis tuæ studiosissimus,

Brianus Cavus.

STVDIOSIS LECTORIBVS PERSVASIO.

EN tibi deduxit *SMITHÆI* cura loquentes,
Cuius ab inscriptis, commoda multa fluunt.
Ergo laborandum est Iuuines, incumbite remis,
Aduersus fluctus vestra carina secet.
Vox vera est, summus labor est, nisi summa voluptas,
Hac capiat, cupiens esse beatus iter.

Finis. T. C.

AVTHORIS QVÆDAM EPIGRAMMATA.

REX.

TOlle malos; extolle bonos; cognosce teipsum;
Iura tene; paci consule; disce mori.

IVREDICVS.

VIue probus; defende bonos; fuge præmia; lites
Comprime; Iustitiam Iustiniane cole.

MEDICVS.

QVI læsum sanare potest, sanumque tueri,
Ille mihi Medicus, si ingulator erit.

THEOLOGVS.

NOsce Deum; notúmque doce; doctúmque verere;
Hoc satis; atque hoc est posse placere Deo.

IVDEX.

SIT tua manca manus, Index, sint lumina cæca,
Dextera ne capiat, luminane faueant.

AGRI

AGRICOLA.

Mane tibi Gallus, somnum tibi noctua suadet,
Ingentes curas rustica cura dabit.

DVX.

Vnicus est belli & pacis moderator Iesus,
Quo duce, quo sole Dux petis esse Deo.

DE EISDEM EIVSDEM DISTICHON.

TV Rege, tu Seda, tu Sana, tuque Propheta,
Tu reprime fures, tu Rus, tu pralium Duces.

HENRICVS. SMITH.

DIALOGVS DE STVDIORVM DELECTV.

Interloquutores, Author. Iurisprudentia. Medicina. Theologia.

Author incipit.

QVò me Musa vocas? quò me fortuna relinquis?
Quo duce? qua vitæ conditione fruar?
Haud secus, aduersis agitatus nauta procellis,
Errat, & incerta fluctuat arte timor?
Quàm mens multarum iactata Cupidine rerum
Hæsitat, & certum nescit inire statum.
Nunc etiam studijs venit maturior ætas,
Et tempus vires, ingeniúmque dedit.
Attamen ancipiti Musarum nauigo fluctu,
Nulla patet curis meta futura meis.
Quò me Musa vocas? quò me fortuna relinquis?
Quo duce? qua vitæ conditione fruar?

Iurisprudentia.

POne metus, adsum meliorum nuntia rerum,
Nuntia iustitiæ iura datura viris.
Pone colende metum, si te Podalirius odit,
At Lycurgus amat: pone colende metum.
Eloquar, an notæ non est opus iudice laudis?
Et satis ad cultum nomen inane facit.
Eloquar vsque licet, minor est mea gloria iusto,
Scilicèt à iusto nomina iura trahunt.
Quin ego iactati moderatrix optima mundi,
Pars etiam nostri mundus honoris erat.
Si merui, si digna precor, precor annue votis,
Quod petimus vestrum est, dilige iure tuum.
N. — Fructus maior erat, non maior cura futura,
—— Si quod quisque facit, quisque docere velit.
N. Quæ fieri debent, eadem quoque noscere debes,
—— Quod minimè nouit, nemo cauere potest.
Ille suus non est, quisquis dependet ab illo,
Vt sit quisque suus, sit quoque quisque meus.
Dissere quod efficias, disces simul indè docere,
Hoc opus officij est, illud honoris erit.
Nec faciat mea laus, videar tibi laudis egena,
Vera loquor, vero debet adesse fides.
Tollite Galenum, minor est quoque iure Galenus,
Proximus à Christo Iustinianus erit.
Ille fidem curat, illi fiducia curæ,
Ille serit pacem, quam serit, ille fouet.

Quæ

Quantum nos illi patri debemus honorem,
Tantum patronis patria noſtra ſuis.
Aſſurgunt nobis nudato vertice ciues,
Succumbit flexo ruſtica turba genu.
Audis vt ipſa meos, ſumma pietate meorum,
Terrarum dominos libera terra vocet.
Sub me pacis honor, ſub me reuerentia iuſti
Floret, & ambiguos diuidit arbor agros.
Sub me litis amor, ſub me violentia Martis
Friget, & alterius denegat alter opes.
Nil opus eſt armis, redeunt Saturnia regna,
Florida pacificæ creſcit oliua Deæ.
Nil opus eſt armis, pacis ſunt omnia plena,
Cantat Io populus, patria cantat Io.
Quid faciat princeps, quid plebs, quid vtérq; capeſcat
Quid præſtet ciuis, quíd q; colonus agat.
Denique quo medicus, quo viuat iure ſacerdos,
Quilibet ad leges quælibet acta refert.
Parua vident, vt magna regant, ſic maxima curant
Vt ſubeant curas inferiora ſuas.
Hoc eſt cum ſeruis pariter commune magiſtris,
Lege pari pœnas ſoluit vterque pares.
Quiſquis rebus inops, & quiſquis inutilis annis,
Viribus inferior, vincere lege poteſt.
Illud enim pia iura volunt, ne fortis inermem
Lædat, & imperium pro ratione regat.
Regis ad exemplum populo ſua facta probantur,
Regis ad exemplum rex ſua facta probat.

Turpiter insultat quisquis parere recusat,
Solus erat liber, qui mihi seruus erat.
Quin etiam iudex legum præcepta ministrat,
Estque simul iudex, iuridicúsque simul.
Nemo sibi parcit, nemo se iudice vincit,
Nec nisi iudicium iure probante fuit.
Sunt etiam in bello leges, & ab hoste probantur,
Mars quoque quæ sanxit fœdera sancta tenet.
Deme viris leges, vitæ quoque crimina demes,
Quælibet iniustis iusta futura viris.
Quid pecudes referam? quarum (nisi carmina fallunt)
Quælibet officium discit agítque suum.
Et volucres aquilæ parent, pecus omne leoni,
Et vigiles certa lege reguntur apes.
Parua dat exemplum magni formica laboris:
Non pudet ingenium tardius esse viris?
Siue iuuat causas coram tractare forenses,
Quælibet eloquio fit bona causa bono,
Siue furens animis ruat in contraria vulgus,
Vulgus ab admonitu discit amare meo.
Si quæ sæpe mouet populo mouet arma Cupido,
Sæuus & ingrato militat ore furor.
Tum si forte virum legum virtute potentem
Conspexere, statim numen adesse putant.
Ille velut summa cónsidens Aeolus arce,
Temperat armatas in sua fata manus.
Ille cuique suum statuit pro legibus, ille
Quod statuit, nulli fas prohibere fuit.

Instruit

Instruit vt fratres, premit vt peruersa sequentes,
Sic probat exemplis, sic ratione docet.
Morte fugat vitium, virtutem incendit honore,
Sic tinuere mali, sic coluere boni.
Nec premit iratus, nec cæco parcit amori,
Iusta sed affectu non renuente facit.
Iura nec euadunt, nec summo iure premuntur,
Sed simul euadunt iura, simúlque luunt.
Finge graues cædes, quicquid miserabile visu,
Et quicquid fieri possit, id esse puta,
Finge dolos hominum, patriæ patrúmque ruinam,
Ciuili sparsas finge cruore manus;
Patribus orbatam prolem, sine prole parentem,
Ignibus exustas finge videre casas;
Clamantes viduas, & qui modò fouit egenos,
Nunc mendicato viuere finge cibo.
Viua reuiuiscat Troiæ pereuntis imago,
Maior erit quouis lege iacente furor;
Sola potest tantas ratio componere strages,
Qua sine, quod fieri fingimus, esse potest.
Finge vel æterni conceptum fœdus amoris,
Contentúmque suis quemlibet esse bonis.
Sola potest tantam ratio defendere pacem,
Qua sine, quod fieri fingimus, esse nequit.
Et nauis rectore carens, & patria lege,
Fluctibus illa ruit, litibus ista cadit.
Si meritas dederit, quas dat mihi patria voces,
Iunctáque si virtus nobilitate fuit.

Si nihil est nostrum, quod non licet esse meorum,
sique nihil nostris cernis abesse bonis,
Cur bona fastidis? cur me fugis optime, cur te
Despicis? amissas non habiturus opes?
Est Deus, & vereor, video meliora, probóque,
Deteriora tamen, sed magis apta sequor.
Plus nocet inuita summum tentare Minerua,
quam iuuat exiguis inuigilasse modis.
Qui satis est nobis, forsan maiora volentem
Discere, conantem debilitabit onus.
Non est conueniens grauitas iuuenilibus annis,
Illa magis poterit cura decere senes.
Estque mihi gratuitas, & honestæ gratia vitæ,
Lex etiam legi proxima nostra Dei.
Haud ignara mali, miseros dignata quiete,
Inque pias causas ingeniosa fui.
Maxima quid prodest à patre relicta supellex,
si minus ingeniem, quo tuearis, habes?
Turpe fuit victum proprio decedere iure,
Turpe fuit, sed quo turpior ira fuit.
Et tamen vt cedat legum mens nescia cogit,
Cedentique iram palma coacta mouet.
Quid facit vt pascat suspensus in arbore coruos?
Nesciuit licitis quæ licuere minus.
Hinc simul officium discit, pœnámque reportat,
Qui simul illorum nescius ante fuit.
Fata velut certo mortales funere tollunt,
Sic tollit certa lex malefacta nece.

Nonne dolet vidisse tuos, hostésque tuorum
Impunè fusos sanguine nonne dolet?
Et dolet, vtque magis doleat, natura repugnat,
Et tacitè nostri pectus amore rapit.
Quid memorē Cræsum? malè quem meminisse meorū
Fecit vt in medijs sit memor inde rogis:
O Solon, Solon, Solon; nec plura loquutus,
Quam graue fert secum lex violata malum.
Et perijt Solon, perierunt & sua iura,
Furáque iustitia sub meliore regunt.
Non referunt fragiles quas fingit aranea telas,
Parua quibus capitur musca recedit opes.
Nec minus est vitium vitio defendere legum,
Quam facinus in lege vetante fuit.
Credite discentes; satis est dixisse Lycurgum:
Qui dederit iuri crimina, iure luit.
Atque vtinam scires, quæ iam quoque credere debes,
Fœlix fortunæ nescius ipse tuæ.
Sunt mihi diuitiæ, quis enim negat arua tueri?
Ingenium, & summæ nobilitatis honos.
Hæc cape nate Deum, si quæ his meliora videntur,
Hæc cupe nate, mea non minor arte fides.
O quàm sit pulchrum dicendi ferre coronam,
Pulchrius ô studium quod bona tanta ferat.
O quoties dices; redeat lux prospera semper,
Qua primum in leges erudiendus eram.
Non deerit, qui nos nimium mercedis amantes
Dixerit, & nullum rebus inesse modum.

Quisquis emit, soluat; quæruntur sumptibus artes;
Estque aliquid raptam restituisse domum.
Nec quia iuridici peccant, contemnere iura
Expedit, hoc hominis nonfuit artis opus.
Quicquid delirant homines, sine crimine leges;
Fallitur interpres; ius sua iura tenet.
Dura licet videar, (quamuis me Scævola duram
Denegat) & Geticam barbara lingua sonet:
Sæpe sub hirsuta latitat sapientia veste.
Difficilésque aditus præbet honoris iter.
Adde quòd ipse Deus, cuius super omnia numen
Eminet, inuidiam comparet arte sua.
Pharmaca dant vitam, vitam quoque iura tuentur,
Liber & euadit qui moriturus erat.
Popilius vitæ Ciceroni debet honorem,
Popilio mortis debet & ipse malum.
Sufficit vnius medico curare salutem,
Hoc quoque vel medico quisque tacente potest.
Patria se totam curandam legibus offert:
Soláque ius ciuis ciuica iura dabunt.
Quanto maior erat solo Respublica ciue,
Tanto maior erat laus mea laude sua.
Si parit inuentis pretium reuerenda vetustas,
In pretio semper iura fuere viris.
Siquid ab exculta venit virtute fauoris,
Nulla magis pacem, iustitiámque fouet.
Si quæ muneribus debetur gratia, nullæ
Tam bene de patriæ commeruere statu.

Si

Si quod difficile eſt, tanto quoque pulchrius extet,
Multa ſub obſcura traditione tegit.
Si laudes, laus ipſa ſibi, ſi commoda, rerum
Fonte natat, ſi vim, ſana monere putes.
Conſtituit pacem, pellit vim, diuidit agros,
Furta fugat, miſeris conſulit, arua colit.
Tantus honor legum, tanto dignatus honore,
Accipe pars noſtri non reticenda chori.
Alter eris Solon, alter facundus Vlyſſes,
Aut nouus, aut maior Iuſtinianus eris.
Ad te confugient ciues, pacémque rogabunt,
A te iuſtitiam conſiliúmque petent.
Te patriæ patrem, te fautorémque vocabunt,
Téque colent omnes, tu quia iura coles.
Si quis amor recti, ſi quæ tibi cura tuorum,
Si quæ cura tui, ſit tibi cura mei.

Medicina.

O Fili, fili, tua te chariſſima mater
Aduocat, & mammas explicat ipſa ſuas.
O fili, fili, qui te malè faſcinat ardor?
Cur meliora fugis, dum meliora cupis?
An tibi ſcripturæ arrident, an ciuica iura?
Iura quid appello, quæ ſine iure trahunt?
Et tamen illa trahant, tanto minus ipſe ſequutus,
Diſce puer dotes, méque docente tuas.
Nos dabimus quod amas, longæuæ munera vitæ;
Quid melius vitæ viuere vita dabit?

Ex medio medicina vocor; mediocria prosunt;
Sime contemnas discere, disce modum.
Nec te pœniteat Phœbo didicisse magistro;
Phœbus erat medicæ primus Apollo scholæ.
Phœbus amat medicos, Phœbus sanare dolores
Edocuit, Phœbus fautor & autor erat.
De cœlo medicina venit, Deus optimus illam
Edidit, & iusto iussit honore coli.
Extremis obstare malis, vitæque labantis
Arte grauescentes multiplicare dies;
Non hominum censetur opus tam nobile, partem
Mens quoque naturæ nobilioris habet.
Quanta mihi Phœbus naturæ vertere cursus;
Quæque latent alijs, scire futura dedit.
Ille mihi rerum causas, artemque medendi,
quæ valet ad certas temporis herba vices.
Ille potestatem fugientem sistere vitam:
O quàm sim Phœbo proxima Diua meo.
Omnia quid referam? neq; enim bona nouimus vllæ;
Nulla potest artes ars celebrare satis.
Si quæ sunt hominum similes factura Deorum.
si quid in hac vita, vincere fata valet.
Hæc mortale genus facit immortale videri,
Longam etiam formam vita perennis habet.
Sicut enim Deus est, cuius stat munere vita,
sic medicus vitam qui tueatur, adest.
Multa quidem tribuit, multis fortuna beauit,
Ad placitum casu suppeditante bonis.

Multa

Multa tamen lædunt, quorum dolor abstrahit vsum
si minus infirmo corpore membra valent.
Vt maneas sanus, sanum medicina tuetur;
Vt sanus fias Pharmaca fana dabit,
Hæc docet immodicos modicè tentare labores,
Hæc monet vt mæsto pectore cura migret.
Attollit morbos, reddit pro morte salutem,
quod cupis attribuit, quod fugis illa fugat,
Tot medicinales comitantur lucra labores,
Tanta tibi nostri commoda cura dabit.
Cum fugiunt socij, quando te quisque relinquit,
Vnicus est medicus qui mala tanta manet.
Hic tecum quæcunque feret, quis talis amici
Non eget? & talem rebus egere finet.
Tam facile & tutum est medicorum iura tenere,
quam facile à crudis abstinuisse cibis.
Scire iuuat motus cœli faciémque ruentis?
Me sciat, & notum credat vtrumque sibi.
Scire iuuat terræ latebras, pelagíque profundum,
Me sciat: ô nostri qui modò finis erat.
Quot sunt morborum species, quot nomina rerum,
Tam varia medicus cognitione valet.
Debet & ipse suos nobis chirurgus honores,
Hei quod Lycurgus dicere fata vetant.
Deficiant sensus, corpus sit viribus expers,
Expertes solito finge vigore manus.
Nemo dabit sensum, nemo vim, nemo vigorem,
Si medici demas pharmaca, nemo dabit.

Sunt

Sunt qui dum valeant, laudant diuersa sequentes,
Turpe putant medicas contaminasse manus.
Nec tamen vllius vires magis adiuuat vsus,
Nullius mentes plus meminisse iuuat.
Sunt qui cum doleant, faciunt aduersa saluti,
Et tamen auxilium, quod renuere, petunt.
Qui precibus fidit, medici tamen abnuit artem,
Quamuis de cœlo viuitur, æger erit.
Quis neget innumeros sumpto perijsse veneno,
Si medicinalem non paterentur opem.
Constat Alexandrum suprema morte grauatum,
Vt valeat, nostris obtinuisse modis.
Piscibus inter se, quidam medicamina præbent,
Alter in alterius morte peritus erat,
Et volucris curatur aquis, & quadrupes herbis,
Et natura bonum scire cuique dedit.
Sic viue vt valeas; quid enim fuit vtile nasci,
Qui minus ad vitam nouerit apta suam?
Sæpius ante diem rapiunt mala fata statutam,
Quòd minimè nostros consuluere libros.
Omne malum medica non est medicabile cura,
Omne tamen medica mitius arte malum.
Nec mihi corporibus tantùm datur arte mederi,
Mens quoque sub nostra cognitione venit.
Nemo magis cura, nemo magis abstinet ira,
Quàm qui lætitia me duce pectus alit.
Sic etenim corpus menti coniungitur, vt qui
Alterutrum curet, curet vtrumque simul.

Sæpe

Sæpe graues animo manant de corpore morbi,
Ex animo vitium corpora sæpe trahunt.
Corpore fac valeas, si vis quoque mente valere,
Fac valeas animo, corpore sanus eris.
Tempus erat quando me principis aula recepit,
Cum fuerant meritis quæque minora meis.
Atq; iterum pulsare meas fortuna premendo,
Atque iterum nostras coget adire fores,
Occurrent longo properantes agmine turbæ,
Et metuent tardos in sua vota pedes.
Exige cur veniant? clamabit turba salutem:
Donec monstratis dixerit vnus aquis.
Est mihi nata domi morbo confecta furenti,
Nec patitur somnum, nec capit ore cibum,
Qui potes, obtestor tanto succurre dolori;
Sic erit auxilijs debita vita tuis.
Estque mihi pater, & podagra remorante grauatur,
Nec licet ire foras, nec libet esse domi.
Si poteris tanti cruciatus tollere pœnam,
Non erit ingrati crede laboris opus.
Hinc aliquis postquam dederis solatia vitæ,
A tergo plenas iunxerit ære manus.
Sic mittes lætos, sic tu lætissimus ibis,
Cui leuis ingentes cura ministret opes.
Ardua præterquam magni sunt iura laboris,
Exigui fructus, si præit alter, erunt.
Dextera de sacris rarò grauis ære redibit,
Consilium precio nemo libenter emit.

Pauca

Pauca meis multas producunt semina messes,
Ah, ah, quàm vitæ viuere dulce fuit.
Adde, quod ingenuas contemnat Barbarus artes,
Nec cupiunt leges, qui sine lege ruunt.
Nulla tamen medicos, dum mors & morbus adhærent,
Negliget auxilium gens furibunda suum.
Quantum quisq; suæ credit debere saluti,
Tantum quisq; suo debet habere duci.
Ex me disce puer, qui sit curare seipsum,
Non eget alterius cognitionis ope.

Theologia.

QVi cupit indignas pluris diuendere merces,
Commendat; vero laus meliora facit.
Hinc nimis immeritos iactat medicina labores,
Et sua plus æquo commoda iura probant.
Ars sua discenti quo possit mira videri,
Censebant licitum transilijsse fidem.
Plurima promittunt, sed qui promissa rependant,
Omnia diuina cum tribuantur ope.
Quicquid habet Solon, quicquid Galenus honoris,
Non sibi, sed Christo laus referenda fuit.
Si qua salus hominum, si quæ concordia rerum,
Omnia quis nescit muneris esse Dei?
Nate cape moneo, ne te Dialectica fallat,
Néue trahat laqueis Philosophia suis,
Adsum relligio, superum regione profecta,
Pectore sinceram compositura fidem.

Qui

Qui fis, qui fueras, & qui post fata futurus,
Sæpè mihi monitus, sæpè monendus eris.
Tempora iam verè, iam sunt ea ferrea secla,
In quibus vt ferrum, ferrea corda stupent.
Hæc est illa dies, quam prædixere Prophetæ,
In qua nemo Dei curet ouile gregis.
Hæc est illa dies multis deflenda ruinis,
Iustitiæ finis, nequitiæq; caput.
Multa tibi multi humano de more loquentur,
Quaq; licet captos in sua iure trahent.
Nec me contemnas, quoniam contemnor iniquis,
Hoc est, quòd nobis non licet esse pares.
Et quamuis pudor est, non me laudasse verebor,
Quam cecinit nemo, me licet ipsa canam.
Nec tamen inuideo, nostris quoque laudibus obsto,
Laus mihi, quam merui, non retulisse, fuit.
Sum mitis, quoniam Deus est placabilis iræ,
Et quia sum mitis, lædere quisque cupit.
Haud secus aduersum quàm quæ prænuntiat omen
Inter inexpletas noctua versor aues.
Me ferus Herodes patria decedere gente
Cogit, & electos increpat vsque meos.
Increpet vsque licet, ne te mea fata retardent,
Spes mihi de cœlo tota petenda fuit.
Disce puer virtutem ex me, verámq; salutem,
Fortunam ex alijs, diuitiásq; pete.
Per mala, per mortem, per mille pericula vitæ,
Vita periclorum meta futura venit.

Sed

Sed Deus est mitis, Deus est quoque iustus, & ille
Non sinit immeritò quemque nocere suis.
Despice risores, breuis est quoque vita malorum,
Et sequitur multis vita repleta malis.
Christus erit vindex, quid non speremus in illo?
Nemo pios lædit, quos pia cura tegit.
Vt valeas, primùm placato numinis iram,
Omnis ab irato numine plaga venit.
Vt sis causidicus, leges edisce supremas,
Nam quæ sunt Diuum, sunt quoque iura virum.
Qui benè me nouit, reliquas bene nouit & artes,
Qui malè me, nescit quæ benè scire putat.
Sæpe bonæ leges prauis ex moribus ortæ,
O quanto melius nos tamen esse bonos?
Qui mea iura tenet, iustum sine iure sequetur,
Qui mea iura fugit, per sua iura ruet.
Nulla diu florent mortalia, spreta senescunt
Omnia, virtutem cuncta sequuntur heram.
Est aliquid fateor vitam reuocare cadentem,
Sæpe tamen melius non reuocasse fuit.
Est aliquid populo retum dare iura suarum,
Præsentémque viris ferre doloris opem.
Sed morbis animos, animas à morte tueri,
Maior erit medica cognitione labor.
Nititur humanam medicus defendere vitam,
Fortunámque docent iura tenere suam.
Nititur humanam pietas contemnere vitam,
Fortunámque suo subdere posse iugo.

Iustinianus agros, Galenus corpora curat,
Diuinus mentis relligione colit.
Si valeant homines, si vulgus pace fruatur,
Quid prosunt leges? quid medicina iuuat?
Mendicat medicus passim florente salute,
Sordet Causidicus si sit vbique quies.
Alter alit morbos, alter ciuilia bella
Concitat, alterius gaudet vterque malis.
Iste fugat morbos, bellis ciuilibus obstat.
Captat in alterius gaudia summa bonis.
Pharmaca Galenus, Lycurgus iurgia tractat,
Diuinus Dominum tradit amátque suum.
Causidicus iuris specie producit inani,
Fortunæ medicus spe melioris alit.
Diuinus fratrum cui maior cura suorum,
Intendit vera, vera docere fide.
Causidicus sæuit, quando Bellona quiescit,
Tum malè se medicus, cùm benè vulgus habet.
Viuite concordes, diuina scientia suadet:
Diuinus, populus cum valet, ipse valet.
Alter in æternis solatur litibus, alter
Dum promittit opem, tollit auarus opes.
Multa Sophi iactant, multi quoque multa loquuntur,
Sed quæ Philosophus disputat, iste facit.
Ille canit pacem, pacem, canit ille salutem,
Nec tamen oppressos ille, vell ille leuat.
Causidicus leges, diuina scientia pacem,
Pharmaca dat medicus, posse valere Deus.

Lex æquum spondet, medicina remedia, præstat
Vtraque diuinæ cognitionis amor.
Cedat lex paci, cedat medicina saluti,
Causidicus, medicus cedat vterque mihi.
DAT GALENVS opes, dat Iustinianus honores,
dat Christus vitam maius vtrisque bonum.
Quis mihi diuitias? quarum mihi copia Christus
Non eget humanis qui bona sacra tenet.
Quis dabit vlla mihi, quorum dedit omnia Christus,
Nemo Deo, nobis nemo daturus erit.
Cui satis est quodcunque satis natura rependit,
Huic satis est summum participare bonum.
Dispereant quicunque sua bonitate probandas
Artifices, artes vtilitate probant.
Esse bonos facile est, quales optamus haberi;
Esse bonos medicos, causidicósque bonos.
At quantùm hæc bonitas vera bonitate recedit,
Esse bonos medicos, nec tamen esse bonos.
Attamen esse bonos alia ratione fatemur,
Esse bonis sortis, non bonitate bonos.
Nunc medicina sua iactet bonitate superbe,
Esse bonos medicos, Christicoláque malos.
Ah quanto melior, quanto fœlicior illis,
Quæ facit esse bonis, & bonitate bonos?
Denique quid prodest nummis onerare crumenam?
Diuitiásque animæ morte parare graues?
Non honor huius erit studij, non copia rerum
Fructus erit, quamuis hic quoque fructus erit.

Sed

Sed quod vtrisque fuit melius, cum vtrisque salutem
Vnà dando feres, atque ferendo dabis.
Discè igitur semper, semper didicisse iuuabit,
Quæ magis, hæc, quo sunt cognitiora, iuuent.
Quid precor infœlix? forsan iuuenilior ætas
Retrahit, & mores non sinit esse probos.
At si tantus amor medicas cognoscere vires,
Seu potius legum tanta Cupido tenet.
Jrue ventosus, rue quò te duxerit error,
Jngrate: usque meos linque, relinque lares.
Jfuge delitias; miserum fortuna reducet,
Cum fuerint fatis quæque probata tuis.
Ah quoties monui; quoties me recta monentem
Despicie, s falsi captus amore boni?
Cedit & ipse mihi Phœbus, mihi maxima Pallas,
Pallas amatrices vincere digna Deas.
Cedit & ipse suas nobis Prometheus artes,
Non illi cœlum, sed mihi scire datur.
Quid referam vates? vates quoque numen adorant,
Et quæcunque docent, Lege fauente docent.
Vt nulli cedam, mihi quæque scientia cedit,
Vt cedant reliquæ proximitate mei.
Sunt qui Diuinum volutentes nomen in ore,
Hac saltem vitij suspitione vacant.
Hoc tamen vt faciant, nunquam peccasse fatentur,
Sed semper Domini nomen in ore sonant
Hos Deus irridet, vetat hæc exempla tenere,
Quorum omnis pietas nomine sita suo.

Nomen habet numen, qui sacro nomine gaudet,
Hunc etiam sancto viuere more decet.
Quòd si talis erit, sicut sunt mille malorum,
Non erat hæc verbi culpa, docentis erat.
Viue velut moriens, qui discis viuere Christo,
Disce prius mundo pro ratione mori.
Spiritus vt primum cum corpore fœdus iniret,
Omnipotens terram fecit vtrisque domum,
Scilicet vt vani videant ludibria mundi,
Quò mens maiori flagret amore poli.
Pauci temporibus Christum sapuere peractis,
In tenebris latuit lex veneranda diù.
Iam primùm lucere dies mortalibus orta
Cœpit, vt à tenebris sit vigilasse satis.
Iam fructus spectate nouos, iam condite messes,
Condite, non semper tempora solis erunt.
Hæc tamen vt minimè moueant, quæ credo mouere
Plurimum, & à nostro sordeat ore decus.
Venturæ moueat melioris gloria vitæ,
Commoueatque salus, commoueatque Deus.
Quis lucem illius lucis, quis gaudia fando
Commemoret, quorum pars meminisse fuit?
Quum tuus ex alto per me, pater, alta petentem,
Talibus excipiet voce fauente Deus.
Salue chara mei soboles, mea gloria salue,
Cœlorumque decus, deliciæque patris.
Accipe mercedem, tantorum digna laborum
Præmia, quæ nemo, me nisi dante dabit.

Est mihi cura tui, quoniam tibi cura meorum,
Doctrina vitij damna rependo tua.
Ecce tibi cœlum, regno succede paterno,
Non meruit talem sordida terra virum.
Maximus electos inter celebrere fideles,
Vt celebres nomen semper in ore meum.
Fortunate puer, multo fœlicior olim,
Cùm fuerint oculis ista notata tuis.
Jmodò natorum chariſſime nate meorum,
Jbone, quò ſtudij vela reflectat amor.
Seu curantis opes, ſeu iam dicentis honores,
Seu, vitam malis, elige, vita tua eſt.

Author.

PAce precor, quoniam fas eſt ſuccumbere iuſſis,
Nec valeo ad varios vnus arator agros,
Vos, inquam, Dominæ iuueni concedite veſtro,
Vt ſit fas Dominam ſponte notare ſuam.
Egregios verò cunctæ meruiſtis honores,
Quæque placet veſtrum, cuique placere velim.

Sed tamen è vobis (liceat modo vera fateri)
Vna magis mentem commouet vsque meam,
Iura probo, medicos laudo, sed numen honoro
Christe tuum. Satis est posse placere Deo.
Adijce seruatis vnum pater optime seruum:
O pater, ô curæ cura beata meæ.

FINIS.

Lex, medicina, Myas, fortunas, corpora, mentes,
Firmat, curat, alit, pace salute fide.